

2. 4.  
122.  
16.

II n  
8033

CELSISSIMO S. R. I. COMITI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
AVGVSTO GVILIELMO,

COMITI DE HOHENLOHE ET GLEICHEN,  
DYNASTAE LANGENBV RGI ET CRANICH-  
FELDAE,

SERENISSIMI DV CIS GOTHANI CVBICVLARIO,  
TRIBVNO MILITVM, NEC NON PRAESIDIO LEGIO-  
NIS DESVLTORIAE OHRDRVFIENSIVM IN VRBE  
COLLOCATO PRAEFECTO,

DOMINO INDVLGENTISSIMO,  
FELICEM EX TERRIS HOHENLOICIS  
PATRIAM IN VRBEM REDITVM

A. D. III APRILIS MDCCCXLIII,  
ET

NVPTIAS AVSPICATISSIMAS

A. D. XXVII NOVEMB. A. P.

CVM

AVGVSTA SOPHIA

ILLVSTRISSIMA GENTE AVERSBERGICA  
PROGNATA,

COBVRGENSIUM IN VRBE  
CELEBRATAS

PIE GRATVLATVM CVM ESSET

A. D. VIII APRILIS MDCCCXLIII,

ILLVSTRE LYCEVM OHRDRVFIENSE  
RITE INDICEBAT

GEORGIVS CHRISTIANVS CONRADI  
RECTOR.

GOthAE LITTERIS REYHERIANIS.





**L** AETARE Ohrdrufium, vrbs patria dulcissimo aliquamdiu decore tuo & praesidio destituta; LAETARE atque exulta luce tibi feliciter oborta! Laetandi namque exoptatissimum tibi enascitur argumentum ex ingenti munere a benignissimo ipso Numine tibi concessio, quo an maius unquam solidiusque tibi contigerit, haud immerito dubitatur. Fortunatissimo plane augurio eo ipso tempore, quo quondam populo Dei vox illa iucundissima LAETARE annunciabatur, suis, salutatum quas iuuerat, ex teris Hohenloicis celsissimus S. R. I. COMES AC DOMINVS, DOMINVS AVGVSTVS GVILIELMVS, COMES DE HOHENLOHE ET GLEICHEN, DYNASTA LANGENBURGI ET CRANICHFELDAE, SERENISSIMI DVGIS, GOTHANI CVRVCVI AVGVSTVS, apud eundem TRIBVNVS militum, praehidique legionis desultoriae Ohrdrufensium in vrbe collocati PRAEFECTVS vt vigilantissimus, ita quoque fortissimus ad te reuertitur. Reuertitur non qualis antehac, quamdiu apud te commoratus est, in bellum, vel posthac ad splendidissimam aulam Gothanam, vel aliorum etiam abiit stipatus, id quod magno honori redeunt fuit, aliquoties summorum Ducum et Principum personis, sed qualem diu speravit atque etiam optavit obnoxius ditioni Eius, aliorumque vna COMITVM tuorum illustrissimorum populus vniuersus, haec in primis vrbs, in qua iam aliquot abhinc annis domicilium constituit, Sponsa et nouus Maritus cum Sponsa et noua Coniuge AVGVSTA, illustrissima Domo COMITVM AVERSBERGICORVM oriunda, singulari proclis virtutis omnis, quae in personam summi inter mortales loci cadit, exemplo. Deduxerat illam AVGVSTVS tuus Coburgensium ex vrbe, celebratis ibi splendido adparatu nuptiis ante aliquot menses ad natale solium suum, ad illam illustrissimam sedem regiam, quam a defuncto gloriose memoriae PATRE vna cum reliquis illustrissimis FRATRIBVS relictam accepit. Deduxerat illam amabilissimam sui partem ad gentem suam, ad honoratissimam potissimum Matrem eum in finem, vt in illa praesente corporis atque animi venustatem conspiciens laetabunda gratias pro ea sapienter electa, decenter petita, feliciter imperata supremo Numini diceret, suis simul ardentissimis ad Deum precibus, vt pro honestate sua gaudium hoc suum et illius perennare, maioraque in dies incrementa capere elementissime iuberet. Et sane delata in conspectum illustrissimae AVGVSTI Matris, quam Deus amet, bonisque omnibus augeat, innumeris virtutum eximiarum ornamentis ita te commendauit amabilissimae Sorori nouae, ita probata est nouis illustrissimis Adfinibus et Agnatis, et quibuscumque praeterea nouae Hospitiis videntur potestas fiebat, vt ex eo temporis momento adamantinis quasi catenis distinctos sibi teneret omnes. Nunc comitante AVGVSTO ad tua, Ohrdrufium, moenia perducta AVGVSTA non felici aliquo siderum influxu, sed suis auspiciis, suiue gratiosissimi vultus velut fausti fideris cuiusdam adlatu se non potest non ciuium tuorum maximorum pariter atque infimorum sensibus ingerere, omnium bonorum animos occupare, illorumque amores sibi firmissime obstringere; eo magis, quam in AVGVSTI tantopere a te dilecti thalamum diuinam



diuinam illam castissimi corporis et animi dignitatem, qua incredibiliter excellit, simulque cum ea omnia gentis suae decora, omnesque magnorum Parentum suorum virtutes iam adtulit. Habet namque communia quam plurima rerum praeracissimatum in celsissima stirps AVGVSTI tui cum illustrissima prosapia Auersbergica. Iactare atque efferre se iure suo potest illa; efferre atque iactare se quoque potest haec antiquitate et gloria maiorum. Floruit illa eminuitque ad hunc usque diem rerum illustrium pacis bellicae temporibus gestarum fama, nec paucis, iisque celebrioribus per Germaniam Comitum Domibus praeripuit palmam; et inclaruit haec non minus per plura retro secula insignibus heroicarum virtutum documentis. Sati sunt primis illius conditoribus marchiones quidam Italiae de alta flamma, Comitumque Romandiolae dicti; editi huius atavis sunt aliquot abhinc retro seculis splendidissimis muneribus supremi prouinciarum iure nascendi venientes marchalli, et supremi itidem eodem iure praediti cubicularii viuentes in ducatu Carnioiae, nec non in Vitiatorum Marchiae principalis dignitatis dynastia, qui honores amplissimi nonnisi antiquissimis summisque Domibus conferri consueverunt. Fuerunt illius primis progenitoribus horumque successoribus exterarum gentium multitudo perpetua exercendae virtutis materies; Inius quoque auctoribus, et qui eos laudabiliter sequuti sunt, magnis heroicis diu satis cum acerbissimis angustissimorum Imperatorum Romanorum hostibus, aliisque immanitate barbaris gentibus, vel aemulis pertinacibus armis fuit dimicandum. Viguerunt vtriusque, vt paucis multa complectar, tales, quorum labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in prouidendo non minus ac luna inter minores ignes emicuerunt. Et haec ipsa tam mirabilis et generis et gloriae maiorum consensus, qua nihil ad obstringendos summorum principum animos efficacius est, vtriusque celsissimam Hohenloicam et Auersbergicam Domum, haud paruo licet terrarum intervallo disunctam, facile, id quod haud raro fit, mutuum in amorem trahere potuit. Quid? culta hinc non heri aut nudius tertius, sed longo iam annorum tractu, maioremque in usum deducta vtraque ex parte amicitia fuit nulla vniquam temporis iniuria vel casu intercepta, sed constans et durabilis insequentibus rerum commutationibus, dataque subinde qualibet occasione mutuo declarata. Neque tamen stabiliora firmius contrahendae huius amicitiae fundamenta iacta sunt, quam his ipsis, in quae incidit aetas nostra, temporibus, vt pote quibus irrupta etiam quaedam archior copula, nullisque querimoniis diuulsus, aut soluendus citius suprema die amor intercessit. Tenuit illa copula, complexa est illo tempore vniuersam celsissimam Domum nostram, etiam cum Carolo, Domitum nostrum clementissimum et Comitem, CAROLVM AVGVSTVM, qui, quum ad secundas nuptias ante hosce viginti annos, et qui excurrit, accederet, SVSANNAM MARGARETHAM suam, nunc satis defunctam, gente Auersbergica ortam, in matrimonium duxit. An credibile est, prudentissimum Dominum hunc in illustrissimam Domum inuicturum fuisse, nisi Amatae a Se doctrina vim insitam promotam animo praeuidisset, nisi de veritate illius dicti: *Fortes creantur fortibus: et bonis est in iuuentis, est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilae columbam: satis fuisse conuictus? Ee impleta sane exactissime spes illa est, quam ille in matrimonium ducta habebat; siquidem in Amatae ingenio et moribus integerrimis perennem sibi et inexhaustum liquidissimae voluptatis et ipsam animum diuinam quaedam suauitate permulcentis fontem apertum nactus est, videntes ex illa haud infocandam matre tres iam adultos filios paternarum maternarumque virtutum aemulos, magnos, si Deus vitam concederit, heroes futuros. Num igitur res admiranda cuiuspiam videatur, si alter AVGVSTVS non, AVGVSTVM GVILIELMVM puto, Heros Heroinam in matrimonium ducturus sui similibusquam non ad aliam, quam ad gentem Auersbergicam, rem ita dirigente coelesti et gubernatrice rerum humanarum sapientia, non ita pridem animum adiecit, quum id dilectissimi Agnati Sui CAROLI AVGVSTI fecit exemplo? Tractus a potentissimo, quod humillimis precibus adiit, Numine in amorem est AVGVSTAE dignae ob id ipsum, quod redamare voluit AVGVSTVM, vt particeps reddatur illius felicitatis, quam praeter caeteros liberos suos AVGVSTO etiam GVILIELMO, gentique eius venturae pius, adhuc quum viueret, multoties adprecatus est Pater, et nunc quoque in viuis superstes deuota Mater exoptare non intermitit. Inditum ab eodem benignissimo Deo hinc ante fuit FRIDERICAE Matri AVGVSTAE consilium de solo natali commutando, transferendisque ad Coburgensium urbem fortunis, vt pote a quo commutato domicilio nunc rerum, quae bonum exitum sortitae sunt, haud parum dependunt primordia. Inde factum est, puto, vt ob viciniam AVGVSTA magnorum Parentum sibi eo facilius felicitique AVGVSTO destinaretur Sponsa summa seruata et custodita cura, vt seculi huius*

Euius euaderet Phoenix, ut eo rarius et carius esset, quod celsissimae Domui Hohenloicae  
 Auerbergicae transmisit donum. Est hoc profecto singulare fauoris diuini documentum, quod talis  
 AVGVSTO contigit Sponsa, nouaque Coniux, quae in sacro Parentum, Ma-  
 tris in primis gremio inter venerandas maiorum imagines educata non iam ex aula, sed ex  
 quodam sanctitatis delubro prodire in illustrissimam lucent videtur. Et ea quidem prodira  
 videtur ex aula, ex qua proscripserunt communia illa vitia, quae in aulis ut plurimum  
 dominantur, pestes animorum, ut luxus, libido, licentia, luxuria, fastus, aliaque sexcen-  
 ta; in qua pietatis, iustitiae, clementiae, temperantiae, modestiae, omniumque virtutum  
 fuerunt ipse, quum adhuc viueret, illustrissimus Pater, ipsa, cui felix Deus traducere iu-  
 beat acuum, illustrissima superstes adhuc in viuis Mater. Quod si quis ciuium tuorum, Ohr-  
 drufium, forte fortuna deductus esset ad sacra illa, in quibus versata huc usque fuit AV-  
 GVSTA, palatia, illaque non nostro, sed prisco vixisset aetno, videre sibi visus esset in  
 AVGVSTA exornanda iucundum Gratiarum Venerumque certamen, coeuentem apud Eam  
 cum Musis Mineruam omnia pertentantem, ut tam bene artibus sexui suo conuenientibus  
 praeparata, tam diligenter eximius virtutibus instructa ex ipsarum prodiret disciplina. Vtinam  
 hic adessent, qui monere ac indicare possent, quid suspiciendum potissimum sit in tot tantis-  
 que AVGVSTAE ornamentis! Quamquam quis non obruetur frequentiore illorum adspe-  
 ctu? cuiusnam non hebetet oculorum acies, ut quid primum, quid postea, quid vltimo lo-  
 co dicendum sit, plane ignoret? Ad vos ciues huius vrbs pronoco, quorum conspectum  
 subit per hos dies AVGVSTA vrben ingressa, qui mecum ingenue confitebimini: quo-  
 curmque demum ariditate nobis fortuna in AVGVSTAM oculos nostros conuertimus,  
 nonnisi magna et sublimia vidimus. Elucet ex AVGVSTA eximius plane atque incredibi-  
 lis mentis vigor; elucet summa erga quosvis benignitas, clementia, comitas; elucet tanto,  
 in quo nata est, rerum fastigio vera animi humilitas, patientia, decor, verecundia. Gloria  
 Eius illustrissimarum virtutum Eam vndique admirabilem nobis proponit; incredibilem illi fa-  
 pientiae diuinae amorem, magnam arduis quoque in rebus diiudicandis perspicentiam, gen-  
 zerosam ad laudabilia quaerens persequenda indolem et natura et gratia concesserunt. Simu-  
 lent aliae simili dignitatis fastigio collocatae feminae gratiam & benignitatem, nihil simula-  
 tum in vultu Eius, nihil fallax in oculis Eius adparet; in omnium animos occulta quadam  
 ratione gratia sua influit AVGVSTA, quid? quod omnes blando fluo nutu sibi obtingit.  
 Propius illam nasse vultus huc usque datum est, omnes Eam nihil aere posse, quin agat  
 pie, quin agat generose, quin agat clementer, uti quam ore admirant. Macla igitur sit  
 AVGVSTA, splendidissima virtutum heroicarum corona boni omnis et nominis AV-  
 GVSTI nostri coniux augusta! Macla sit, inquam, et reddat nobis dignam illustrissima  
 Hohenloica et Auerbergica stirpe sobolem, cuius nomen et gloria exaequet omnium seculo-  
 rum memoriam! Obstrepent illi nobilicum fidissimi ciuium illius: Viuat AVGVSTA,  
 Deo dilecta! viuat, floreat, vigeat, perennet! Deus illam ad solatium, ad gaudium nos-  
 trum dedit, Deus ad gaudium, ad solatium nostrum illam conseruet! O fastum et saluta-  
 rem et Hohenloicis et Gleichenibus terris diem, quo primum auras vitales carpsit AVGV-  
 STA! O ter et amplius beatum AVGVSTVM tali inter homines angelo inactatum, cui  
 talis contigit consors regiminis in terras ditioni Eius subiectas Virago a coelo formata, a coe-  
 lo accepta, et eidem rursus consecrata coelo, in quam suas certatim dotes coelum et terra  
 transfuderunt. Sic ludit in rebus humanis prouidentia diuina, sic illustrissima Domus Auer-  
 bergica illustrissimae Domui Hohenloicae, sic illustrissima Domus Hohenloica illustrissimae  
 Domui Auerbergicae obstrictam se sentit. Sed quantum AVGVSTO suo GVILIELMO  
 tam rarae felicitatis auctori gens Eius deuotissima nunc debet, AVGVSTO GVILIELMO  
 magnum Comitum Delicium, AVGVSTO GVILIELMO nonnisi magnis et sub-  
 limibus rebus gerendis nato? AVGVSTO, inquam, GVILIELMO, sacro cuius no-  
 mine omnes tituli laudesque continentur? Quacumque ex parte sane nobis conspicitur AV-  
 GVSTVS, conspiciuntur in illo nonnisi luculenta Herois excelsi documenta. Veri si quid-  
 quam inesset doctrinae illi veterum, qua mortuorum hominum animae in alia corpora trans-  
 migrare dicebantur, non multum a vero recederet, qui contendere ausit, remotissimas anti-  
 quitatis illos semideos Castores, Polluces, Theseosque in AVGVSTI remigrasse personam,  
 atque in illo magno Herode demum nunc reuiuiscere. Quid enim? heroica illa corporis Eius  
 species? Hectoreus, ex quo prognatus est, sanguis; Martia, quam spirat, indoles alterum  
 Herculeum nunc vero in terris crescentem nobis in AVGVSTO repraesentant. Propiora  
 nobis tempora respicientibus omnibus multo verius adfirmare licebit, excessum WOLFGAN-  
 GI

GI IVLII, heroum superioris seculi Decoris, et Comitis Hohenloici spiritum inesse AVGVSTO GVILIELMO, praesertim tanta cum plurimis in rebus inter vtrumque sit similitudo, quanta vix in aliis reperitur. Ille enim sicut a prima fere adolefcentia rei militari operam dans arma tractavit; sicut bella et magnos triumphos amans maximis in rebus iuventutem suam signavit: ita hunc quoque iam in dulci iuventute signa caestrensis, bellicae in ludo clamor militum, arma laevia, et acer peditis, vel equitis cruentum in hostem vultus iuvant. Sicut ille mox magnam rerum bellicarum adeptus est gloriam; sicut ille mox in magnam Ducis Aurelianensis gratiam influxit, adeo ut illi dignus videretur, cui partes tribuni militum daret in legione illa equitum Germanorum, quam propriis sumptibus conferbere in rem suam fore putauerat: ita hic ex nuperrimo bello Gallico non minorem profecto reportavit laudem, tantumque rebus in eo praeclare gestis apud Serenissimum Ducem Gothanum gratia valuit, ut quotannis fere novis honoribus auctus, novissime quoque pari tribuni militum dignitate fuerit exornatus. Sicut ille prouiciam commemoratam fideliter obeundo compluribus in proeliis, ut in illo, apud Rajetum, in illo, quod in suburbis Parisiorum a ditto Antonio nominatis committebatur, vel ad funnam hostiam admirationem eximia fortitudinis declaravit specimina sic, ut biennio post circa medium seculi, quod effluxit, ad summum campi mareschalli eueheretur honores, quos iidem postea mutato domino ab augustissimo imperatore Romano, gloriosissimae memoriae LEOPOLDO, impetravit, utpote copiis imperialibus in Hungaria contra Turcas non sine gloria militantis supremus belli dux fortiter adversus hostes ad sanum diu Gothardi praefectus: ita spes adfulget certissima, fore, ut tempore procedente paribus editis fortitudinis signis paribus quoque honorum titulis inactatum nostrum videamus AVGVSTVM. PHILIPPI quoque, incomparabilis superioris et hoc praecedentis decimi sexti seculi herois et illusterrimorum Comitum Hohenloicorum singularis prorsus in terris Belgicis decoris, utpote supremi militiae praefecti, qui multarum urbium obsidione et expugnatione maxime inclauit, excelsus in AVGVSTVM animus remigrasse videtur. Sane nihil quidquam in illo est, quod non iubeat optima et amplissima de illo sperare. Ea quoque, quae in Octavio Augusto quondam essecerunt, ut ille gaudium et deliciae populi Romani esset, haud minus in AVGVSTO nosces deprehenduntur. Ridet in fronte Eius facies ille iuuentutis gratiae animorum concinnitas: <sup>in ore Eius</sup> <sup>placantissima</sup> quaedam et matina venustas: regnat in corpore Eius maiestatis pleno vegetus ardor, et ardentissimi vigor. Resplendet in illo immortalis illa et haud fucata Patris pietas, insignis Aui iustitia, singularis Proavi clementia, omnium denique gloriosorum maiorum nunc coelo adscriptorum divina quaedam ingenii vis et maiestas. Verbo, quidquid Comitem Dominumque amabilem, civibus venerandum, suoque, in quo collocatus est, fastigio dignum reddere potest, id in AVGVSTO felicissimo nexu et eminenti quadam ratione adparet. Quis ergo illo dignior foret, cui tam pia, tam suavis, tam amabilis ex ipsius benigni Numinis quasi manibus contineretur virago? Dicuntur rebus bellicis adfuerit heros finitis quoque bellis semper amore bellandi flagrare. Quae haec ita sunt, quam bene AVGVSTVS sibi et rebus suis e longinquo prospexit, ut, cum bella, quae nunquam tamen reformidat, in perpetuum durare non possunt, sed cum devictis et occisis hostibus vna sepeliuntur, suppetere sibi, quo illum, quo heros innictus flagrat, amorem bellandi sedare, suoque desiderio satisfacere possit? Quam ille cupide nunc et olim ex bellis heros onustus multis honoribus et hostium spoliis reditus ad sua tam grata, tam amabilia amoris castra caedis nefandae prorsus expertia rediit? Laetare igitur Ohrdrufium, et tolle ad sidera iubila, laetare haud parva siquidem AVGVSTI et AVGVSTAE connexo coniugii vinculo petacta res est: magna et duratura per illud futurae etiam felicitatis tuae iacta sunt fundamenta. AVGVSTVS et AVGVSTA mellorum, si qua futura sunt, temporum spem tibi ostendant. Laetare, laetate iridis in coelo haud procul ab urbe, qua ascendit, versufque arcem illius stetit, adparentis tempore urbem et arcem magno populi concursu ingressis adplaudere et ecine: CRESCITE animae coelestes, et MVLTIPPLICAMINI! CRESCITE! Deus annuat votis, ut per omnem saeculorum memoriam stirps Vestra in immensum excreseat. CRESCITE, animae coelestes, et MVLTIPPLICAMINI viribus, opibus, animis in aeterna Patriae incrementa! CRESCITE, animae coelestes, et MVLTIPPLICAMINI! qui populos imperio tenetis, ut populos integros in posteris Patriae gignatis. CRESCITE, animae coelestes, et MVLTIPPLICAMINI! ut omnium salus simul per Vos in omnibus creseat et multiplicetur. CRESCITE, coelestes animae et MVLTIPPLICAMINI aeternis omnis, quodcumque praesens excipiet, aevi laudibus

in

PK 11 n 8-133 (2225400)

in quibus lycei quoque nostri vocem nullo non tempore et longe lateque exaudiri, spes et votum est. Exaudiat ipse benignissimus Deus hoc votum nostrum, ipseque conceptam ratam esse iubeat, utque bene feliciterque vitamus, saluum sospitemque AVGVSTVM cum AVGVSTA praeflet! Praemittere haec lubet vocibus quorundam illustri lycei nostri iuuenum ad gaudia ob faustissimum AVGVSTI coniugium iam excitatorum, qui dignissimum facundissimamque hanc dicendi materiam nacti quilibet pro capto suo oratione haud ineleganti persecuti sunt, ut **CELSISSIMI AVGVSTI, DOMINI** nostri Clementissimi pace impetrata publice audiri coram illustri patergyri cupiant. Dicturi autem sunt diuisis inter se operis, ac primus quidem de felici *Hohenloici stemmatis cum Auerbergico coniunctione*; alter de commodis ex eadem in ciues vniuersos; tertius de *ipidem ex eadem in ciues litteratos*; postremus de bonis exinde in rem religionis nostrae redundantibus; quorum duo priores Latina, duo posteriores, vnus Gallica, alter vero vernacula lingua metro adstricta ventur. Nomina illorum sunt:

**IACOBVS FRIDERICVS GVILIELMVS SORGE, GOTHANVS,**  
**IO. CHRISTIANVS FIDEIVSTVS SILBERSCHLAG, OHRDRVFIENSIS,**  
**IOANNES GEORGIVS GVILIELMVS CONRADI, OHRDRVFIENSIS,**  
**FRIDERICVS GVILIELMVS BEVMELBVRG, GOTHANVS.**

Facile credi potest, vnumquemque illorum inveniendae orationi dignae omnem operam impendisse; neque tamen extra oleas vagari putandi sunt, sicubi exornandis in rebus a commutari recedunt dicendi ratione, poscente id dignitate argumenti. Illud quoque silentio praeterendum non est, fore, ut haec nostra et illorum gratulatio nonnullis forte sera nimis videatur, eo quod a nuptiis AVGVSTI nostri celebratis iam vnus et alter mensis praeterfluxit. At enim vero tempore, quo AVGVSTVS post reditum ex terris lovis Hohenloicis solemnitati huic, quae gratiae Ipsius est magnitudo, Ipse interesse posset. Huius igitur pietatis nostrae et publicae gratulationis interpretes oratores iuuenes vt eras, volente Deo,

A. D. VIII. APRILIS HORA VIII.  
IN AUDITORIO CONSVETO

**CELSISSIMVS COMES ET CLEMENTISSIMVS DOMINVS** et si fas est, demississimisque precibus relinquatur locus, etiam **CELSISSIMA COMES ET DOMINA CLEMENTISSIMA**, vna cum aliis **MAECENATIBVS, FAVORIBVS ET AMICIS** gratiosissima et beneuola dignari auditione velint, **ILLOS** et illorum, et meo ipso nomine tanta, quanta par est, animi submissione, summaque obseruantia rogo. Ohrdrufii A. D. VIII. Aprilis  
C1210CLIII.



Π n  
8033

2. 54  
122  
16

CELSISSIMO S. R. I COMITI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
AVGVSTO GVILIELMO,

COMITI DE HOHENLOHE ET GLEICHEN,  
DYNASTAE LANGENBVRGI ET CRANICH-  
FELDAE,

SERENISSIMI DVCIS GOTHANI CVBICVLARIO,  
TRIBVNO MILITVM, NEC NON PRAESIDIO LEGIO-  
NIS DESVLTORIAE OHRDRVFIENSIVM IN VRBE  
COLLOCATO PRAEFECTO,

DOMINO INDVLGENTISSIMO,  
FELICEM EX TERRIS HOHENLOICIS  
PATRIAM IN VRBEM REDITVM

A. D. III APRILIS MDCCCLIII,  
ET

NVPTIAS AVSPICATISSIMAS

A. D. XXVII NOVEMB. A. P.

CVM

AVGVSTA SOPHIA  
ILLVSTRISSIMA GENTE AVERSBERGICA  
PROGNATA,

COBVRGENSIVM IN VRBE  
CELEBRATAS

PIE GRATVLATVM CVM ESSET

A. D. VIII APRILIS MDCCCLIII,

ILLVSTRE LYCEVM OHRDRVFIENSE  
RITE INDICEBAT

GEORGIVS CHRISTIANVS CONRADI  
RECTOR.

GOthAE LITTERIS REYHERIANIS.

